+

Reverende in X° Pater 80

Rde in Christo Pater 79

Pax Christi

Valde me recreavit epistola Vrã Rcuã ad me data, ex qua intellexi non solum antiquum erga me Rcuæ Vræ affectum non fuisse extinctum vel imminutum, sed magis adhuc auctum, et utinam aliquo saltem modo respondere eidem possem, nunquam certe intermittam in quacunque re Vræ Rcuæ servire potero. Sperabam sane me Romae Vrã Rcuam visurum ac multa de variis collaturum, sed cum S. Obedientia aliud statuerit, faciam per litteras, quod in praesentia non potui, spero Vrã Rcuam etiam idem praestiturum. ut autem ad rem veniam petitisque respondeam 1° promitto me quicquid descripti P. Henrici remansit in manibus, me ea omnia Vræ Rcuæ prima occasione transmissurum cum quibusdam Sinicis quae mihi iam inutilia erunt, item proxime mittam Vræ Rcuæ totum petitum itinerarium meum cum tota Historia regni Barantala, utque hic prout indicaveris in Dno, 3° conabor etiam delineationes aliquas addere aliquarum rerum curiosarum quas in itinere conspexi, spero ea non ingrata futura, sed mihi adhuc gratius esset, si ipse in persona, si superioribus placeret, ea Rcuæ Vræ communicare possem, multum enim addit ipsa explicatio oretenus facta, prae literis quibus non tam commode omnia committi possunt, sed fiat voluntas Dni. P. Assistens Germaniae (cui propter libros illos scripseram ex Lazaretto Livornensi) mihi huc significavit, ut eos Romam commoda occasione mitterem vel ut inservirent Rcuæ Vræ prout petiit, vel ut aliquibus Patribus aliquando in Indiam abituris usui esse possent, quare ne in Domo Professa detineantur Vra Rcua Patrem Assistentem audiat praeveniatque ut quamprimum eo appulerint, (dirigam autem eos ad P. Koler) non per varias manus transeant, sed immediate Vræ Rcuæ consignentur. haec pro nunc, proxime plura, atque his cum humanissima salute ad RR. PP. Koler, Schwartzel, Nadasy, Gumpenberg, me in Vra Rcua Vræ sacrificia precesque enixe commendo, Goritiae 26 Februarii 1666.

Rcuæ Vræ Servus in Xto

Joannes Grueber.

Reverendo Patri in Xto
P. Athanasio Kirchero
Societ. JESV

Gruber

Romæ